(17

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

Auctore RICARDO H. KEENLYSIDE.

PROŒMIUM.

QUOTIES corpus humanum contemplamur admiratione afficimur fabricationem spectantes. Partes quam diversæ, quam multiplices! Singulæ tamen singulis ita conveniunt ut nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum. Ex hac igitur partium concordia, modo adsit illa " divinæ auræ particula" qua movemur, vita efficitur. Ita in-

[1822]

structi, nos, vitam, corpusque tuemur, et ea, quæ nocitura videantur, declinamus, atque ad varia vitæ munera obeunda semper sumus parati. Quod rationis sumus participes, propria est, veri inquisitio et investigatio, et ea imprimis, quæ ad nosmetipsos spectat, maxime allicimur. Fieri enim nullo modo potest ut corpus et omnes corporis partes nobis non curæ sint, præsertim cum inter animum et corpus sit tanta concordia, et tanta quasi vitæ conjunctio. Si valeat corpus, valet animus. Si languescat corpus, animus languescit; et cum tandem corpus ex morbo seu quavis alia causa morti occumbat, animus sedes deserit priores, corpori postea immortali associandus. Mors veniat necesse est; ita voluit DEUS omnium Creator, et mortis mille modi; quorum paucis manu opifera succurrere, et aliquando prævenire licet. Quæ quoniam ita sint, minime mirum, si medicinæ studio incumbentur, quæ haud infrequenter mirificos effert fructus, atque corpus humanum, morbo languescens et fere jam conclamatum, sana valetudine donat. Ex iis igitur morbis, sive morborum causis, quibus medicina aliquid remedii potest afferre, visum est mihi pauca de Dys-

pepsia disserere, qua progrediente et magis indies dominante omnes corporis partes trahantur, necesse est.

DE CIBI CONCOCTIONE QUÆDAM.

Ex functionibus omnibus, sive sint animales, sive vitales, sive naturales, nulla pluris quam ea cibi concoctio, quæ in omni vita cernitur. Hac inter alia etiam funguntur herbæ, particulas enim quocunque seu qualitercunque arreptas in seipsas convertunt. Hæc ita conducit ut sine cibi concoctione, alimenta vitæ, semina mortis evadant, et omnia retro sublapsa referuntur. De hac, ut potero, pauca dicam.

Concoctio in tres partes satis commode discerni potest; quarum prima, cibi transitus ab ore ad lactea; altera, introitus ejusdem in hæc ipsa vasa donec ex ductu thoracico exigatur; tertia vero, ejusdem cibi cum sanguine mistura.

Prima, haud infrequenter sed perperam, ut mihi videtur, Concoctio nuncupatur.—Harum partium unamquamque in ordine tractabo.

Concoctionis Pars prima.—Concoctio tum corporis sanitati conducit, cum cibus satis mandatur satisque saliva misceatur. Quoties hoc non accidat, quæ sequuntur perficienda plura et majora, quippe opus imperfectum: quod ubi fit, plus minusve pro corporis habitu, morbus excitatur. Quocirca hæc prima concoctionis pars imprimis curæ esse debet, cum haud raro negligi videatur. Ab ore ad ventriculum cibus per gulam pervectus, magnam ibi subit mutationem; quæ, ab ea parte cibi tunicam internam attingentis initium capiens, paulatim pergit, donec omnis cibus in chymum mutetur. Chymus ille in ventriculo non manet, donec totus cibus mutationem præfatam subierit; sed cum pylorum attigerit, ex ventriculo egreditur, atque paulatim ad duodenum fertur, ubi succorum potestati subjicitur. Hanc mutationem in ventriculo, succo gastrico (ut mihi videtur) recte tribuenda. Bilis et succi pancreatici viribus conversio magna in duodeno efficitur. Chymus in duas partes distinguitur; quarum altera inutilis, quia parum nutrimenti præbens, altera tenuis, alba, lactique similis, a vasis lacteis absorbetur alitque corpus: hanc medici *Chylum* nominant.

Horum succorum munera explicare huic dissertationi alienum.

Concoctionis Pars secunda.—De secunda concoctionis parte, qua per vasa resorbentia chylus fluit et ad venas per glandulas conglobatas procedit, nihil habeo, quod dicam, quoniam parum compertum existat.

Concoctionis Pars tertia.—Et hic etiam multæ difficultates occurrunt quærenti, quoniam ratio de mutatione chyli in sanguinis circuitu æque latet ac mutatio quam subit in parte concoctionis secunda. Patet sanguinem in pulmone jam chylo commixtum, modo ignoto, admodum mutari; eundemque redientem ad cor in arterias propelli, ubi corpori viventi consociatur et auxiliatur.

Quamvis de concoctione pauca tantum dixerim, tamen quanti sit, quanta ejus ministeria, et quæ cura adhibenda, satis patet. Nam structura multiplex multis diversisque functionibus conjuncta, causas morborum pro natura implicata præbet, si variis officiis non recte fungatur. Quæ cum ita sint corporis habitus vitæque ratio diversa non negli-

genda. Experientia non minus quam ratio testatur totam " *Neuroses*" classem inter homines cultos maxime vigere, et ex his forsan originem cepisse; quippe incultis, horum morborum fere immunitas. Cum, contra, studio sive cuivis operi nimis dediti, seu negotiis domesticis impliciti, hac morborum classe maxime laborant. Mala autem arcere, quæ in his, qui a simplici lege naturæ tali modo discesserunt, maxime sese ostentant, est medici; qui, DEO duce, morbos et morborum causas quamvis ingravescentes et licet alta radice defixas, haud infrequenter eradicat.

In Dyspepsia tractanda, illud mihi præfandum quod, infirma structura posthabita, de morbo functionis tantummodo loquar: quoniam morbus structuræ ipsius fere ultra remedium est: possumus aliquando ægroto succurrere, sed morbi radix nequit evelli.

Quoad definitionem, inclytissimus CULLEN Dyspepsiam apte collocavit in Classe " *Neuroses;*" atque ejus explicatio Ordinis, in quo est, *(Adynamiæ),* " Motus involuntarii sive vitales sive naturales imminuti," huic morbo bene convenit. Confiteor tamen *characterem* brevem, quem de-

dit Vogel, meliorem esse quam verbosa Doctoris Cullen definitio. Hic enim signa tantummodo frequentissima et pessima enumeravit; ex quibus multa abesse possunt, et tamen morbus, me judice, existat. Ego igitur Dyspepsiam verbis Vogel potius describerem, quæ sequuntur, "Tarda difficilisque concoctio."

DE HISTORIA MORBI.

Quamvis Dyspepsiæ indicia plura, eaque inter se valde differentia, tamen unum ex iis plerumque ægrum imprimis vexat. Ubi igitur palpitatio cordis urget, hanc æger narrat; ubi capitis gravitas dolorve, de horum alterutro præcipue conqueritur. Interdum tamen (ut quam brevissime dicam) singula quæque signa ægrum admodum vexant. Signa dyspepsiæ, sicut in cæteris morbis, serie ordinari nequeunt, quoniam nullum ordinem sequuntur: neque vero eadem signa bis solent evenire. De iis igitur primum dicam, quæ ad ventriculum proprie spectant;

dein de iis, quæ ex consensu cum reliquo corpore oriuntur.

DE SIGNIS QUÆ AD VENTRICULUM PROPRIE PERTINENT.

Concoctionis pravæ cibi fastidium, nimiumve desiderium, sive cupiditas ciborum diversorum vel condimentorum, inprimis signa. Sæpe post cibum ventriculus gravescere videtur, et sæpissime cum flatu et nausea, et interdum post tempus cum vomitu.

Gastrodynia, cardialgia, etiamque pyrosis, dyspepsiam sæpe comitantur. Hæc omnia signa ex acrimonia vel flatu fere oriuntur; sed præcipue ex cibis male concoctis (unde fortasse fermentatio evenit); qui ventriculum debilitant atque ita corrumpunt, vel saltem diminuunt ejus secretionem.

DE SIGNIS EX CONSENSU PARTIUM.

Nonnulli scriptores hujus morbi sedem in intestinis affirmarunt; his enim partibus cum ven-

triculo est certe consensus firmus. Alvus, viribus intestinorum vel amissis vel debilitatis, adstricta, dyspepsiam frequentissime comitatur; interdum autem alvum fusam ex irritatione, aut bile, quæ in duodeno officio non recte fungatur, aut stercoris acrimonia, videre licet. Diarrhœa cum obstipatione alternans, per longum tempus sæpe durat. Enterodynia ex flatu oriens fere ejusdem flatus expulsione levatur.

Lingua albida vel fœda semper adest, et sapor malus in ore, præsertim mane. Spiritus, omni cura adhibita, fœtet. Saliva sæpe afficitur, modo enim corrupta, modo parum, modo nimis copiose fertur.

His accedunt vertigo, dolor capitis vel totius vel partis solum, tinnitus aurium, visus imperfectus, cum muscis volitantibus (ut vocantur), vel imaginibus ante oculos versatis. Hæc signa consensum inter caput atque ventriculum demonstrant.

Hæ affectiones oculorum, quas modo nominavi, haud raro amaurosis aut incipientis suffusionis speciem præ se ferunt: id quod mihi ipsi contigit, qui ex his ita laboraverim, ut medicum juvenem

quidem, sed peritum, causa morbi pro tempore penitus latuerit.

Sudor frigidus et viscidus, ac totius corporis molestia, ex cruditate proveniunt. Digitorum injucunda, et quasi serpens titillatio, a nullo (quantum scio) notatus, sæpissime occurrit, et molestiæ causa est.

Præter indicia jam commemorata, alia sæpe existunt, et ægrotum vexant. Exempli gratia, crebri ructus acidi aut amari et interdum ipsa ruminatio, inter signa numeranda. Pulsus fere exiguus, tardusque, ex levi exercitatione autem vel corporis vel mentis, celerior ac firmior fit. Partes corporis extremæ aliquando frigescunt. Urina mane rubicundior, meridie ac vespere pallidior. Vesica urinaria aliquando irritatione afficitur; quod cum accidat urina coloris expers, cum dolore redditur, atque cupiditas urinæ crebrior. Somnus sæpe perturbatur, atque somnia tumultuosa, incubusque occurrunt. Animi vigor deprimitur, et exercitatio odio est.

Quoniam Hypochondriasis, ut mihi videtur, quasi dyspepsiæ species gravior habenda est, in qua signa ex consensu orientia morbum ipsum

gravitate superant. De hujus speciei signis pauca proferre liceat. Animus tristis atque ignavus, propter malorum metum ex levi seu potius nulla causa solicitus, et de DEO prava edoctus. Hæ notæ dyspepsiam, mentis malo conjunctam demonstrant.

DE CAUSIS REMOTIS.

HÆ in Causas Prædisponentes Excitantesque fere dividuntur. Infirmitas, habitus corporis mollis, strumosusve, cruditas antecedens, atque alii morbi, dyspepsiam inducunt; atque ita ad causas prædisponentes sunt referenda *.

---

* "All the exciting causes," inquit Doctor WILSON PHILIP, "of this disease, applied in a less degree, act as predisposing causes."

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

HÆ sine dubio ita multæ, ut omnes enumerare supervacuum sit; præsertim cum de his inter medicos minime convenit. Quoniam autem inter se quoad causas excitantes discrepant, in una tamen quæ, ni fallor, neque dyspepsiæ, neque alius cujusvis morbi causa existit, miro modo concurrunt.

Quod ad theam pertinet, quando immoderate bibatur, eam morbi pabulum præbere, non omnino negabo; sed ut quotidie adhibetur, quis dubitet, quin sit innoxia?

In enumerando causas excitantes, scriptores sequar; illasque in eas dividam, quæ ventriculum ipsum protinus nocent; atque in eas, quæ, aliqua parte intercedente, illi officiunt.

DE CAUSIS QUÆ VENTRICULUM IPSUM LÆDUNT.

I. Mirum est res duas, tam inter se diversas quam intemperantiam et abstinentiam diuturnam, dyspepsiam pariter incitare posse; quamvis in-

temperantia longe frequentior est causa; imo fortasse omnium frequentissima. Intemperantia sive in potu sive in cibo huic organo ita plane nocet, atque ejus officia ita evidenter perturbat et infirmat, ut hoc loco plura dicere non opus sit.

Abstinentiam autem, quam perpauci scriptores inter causas remotas collocarunt, idem efficere posse, perspicuum est ex uno exemplo e multis, quæ equidem vidi.

Quidam robusti plenique habitus (apoplexiæ ut ipse credebat obnoxius), parce ac duriter vivere statuebat, statimque hoc consilium executus est. Sed tamen, quod nimis sæpe accidit,

"Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim."

Haud ita multo post, morbo opprimi cœpit; siquidem alvus astricta, inflatio, cardialgia, cordis palpitatio, atque hypochondriasis, cum multis aliis signis, ei brevi adfuerunt. Postea vocavit in consilium medicum amicum, cujus monitis paruit, quo facto, statim convaluit. Victus enim tenuis, vino, cerevisiæ et carni cessit, et bona valetudo rediit. Ita patet morbum ex abstinentia oriri. Equidem in nemine unquam cordis palpitatio-

nem vehementiorem vidi, neque magis aperta signa ventriculi languidi vel tam facile, causis frivolis levibusque, perturbati.

II. Liquores inebrientes ita manifeste corpus infirmant, atque eos morbos excitant, qui ex perpetua nervorum irritatione proficiscuntur, ut mirum est videre tot hominum semetipsos periculo tam gravi sine causa objicientium. Ex ebrietate siqua voluptas oriatur, ea, malis comitantibus, non comparanda. Hujusmodi autem liquores, siqua Doctori Trotter fides, morbos, qui sequuntur, excitant, "Hepatitidem, scilicet, Phthisin, Maniam, Apoplexiam, Epilepsiam, atque Paralysin *."

III. Quod ad cerevisiam vero pertinet, quamvis mala, quæ generat, minora, tamen immodice hausta æque corpori officit. Ventriculo rebus stimulantibus assuefacto, crescit indies earum cupiditas, neque unquam expletur desiderium, do-

* Vide Trotter "On Drunkenness."

nec infirmitate nervorum iners et torpens officio fungi recusat.

IV. Iidem fere effectus ex opio atque tabaco, immodice adhibitis, proficiscuntur. "Opium, the ablest attribute of medicine," ut inquit Doctor TROTTER, "so calculated by its powers to sweeten life, and suspend pain, when all earthly comforts avail nothing, has its limits of doing good:" atque Doctor WOODFORDE, ita scribit: "It soon debilitates the stomach, and whole system. Opium given only in the form of medicine, will sometimes induce dyspepsia. Although it be used for a short time, nay given by injection, it will operate on the whole nervous system; but its action in this way is safer." De tabaco autem idem Doctor TROTTER hæc habet: "It powerfully acts on the nervous system, destroys the sensibility of the stomach; and it is observed, that those who devour it in great quantities, die of apoplexy, palsy, and dropsy." Ex variis modis per quos tabaco indulgemus, pulvis per nares acceptus minime forsan nocet, sed et hic concoctionem pravam sæpe excitat.

V. Remedia vomitoria ac purgantia male adhibita, multum officiunt. Cum vomitoria naturæ oppugnare pateat, non dubitandum, quin eorum usus frequentior sit noxius: ita observat Doctor Gregory, qui in suis prælectionibus se sæpius observasse, frequentem remediorum usum, quæ vomitum concitant, vim ventriculi admodum infirmare, et hinc malam concoctionem movere, dicere consuevit. Cathartica intestinorum vim imminuunt, quamvis ab illis aliquando auxilium petimus.

VI. Omnia, denique, medicamenta, quamvis bona, si immodice vel intempestive sumantur, corpori obsunt. Hydrargyrus forsan ex omnibus, ubi temere usurpatur, sæpe dyspepsiam excitat.

DE CAUSIS QUÆ, EX CONSENSU, VENTRICULUM LÆDUNT.

I. Quod ad desidiam pertinet, atque studia nimis protracta; ea musculorum imbecillitatem excitant, et vim nervorum corrumpunt; deinde inclinatio corporis, scriptoribus, ut opinor, non satis

notata, in iis, qui vel legendo vel scribendo multum temporis consumunt, aut in iis, qui ejusmodi munera obeunt, dyspepsiam movet. Hoc fieri equidem vidi.

In hoc loco, animi affectus tristes et opprimentes tractandi sunt, quoniam hi quoque ex vita inertiæ et desidiæ dedita sæpe proficiscuntur; idemque vitæ modus hos affectus præcipue generat et alit. Hi autem affectus corpus debilitant, ejusque functiones ita perturbant, ut amor vitæ, omnibus animantibus a natura insitus, onus haud ferendum evadat. Hypochondriasis, amentia, melancholia, atque, ubi diu invaluere, interdum ipsa mania, ab his excitantur.

Corporis etiam nimis parca exercitatio alia existit causa, quæ hunc morbum sæpe generat. Hæc, forsitan, vi intestinorum nervoso præsertim officit, unde alvus astringitur; quæ astrictio morbi indies causa est. Corporis exercitatio sane plurimi est, sed modus adhibendus, quippe nimia æque ac parca obest.

II. Ad movendam dyspepsiam, frigus et humor separatim et multo magis conjunctim operan-

tur. Hi enim sudores impediunt, et quoniam inter ventriculum cutemque est consensus firmus, hujus organi officio plerumque nocet.

III. De morbis functionibusque morbosis, quoniam omnis morbus plus minus dyspepsiam, haud dubio, movet, tractare longum.

Inter functiones tamen corruptas, de una, quæ, meipso teste, multum doloris affert, pauca dicere constitui. De urina diu in vesica retenta loquor: quod ex causis diversis et nonnunquam incuria accidit. Urina ubi post primum vesicam exhauriendi desiderium diutius retinetur, valde nocet. Ex quo desiderii sæpissime cessatio in plures horas. Difficultas urinæ hanc moram sæpe sequitur, quamvis neque strictura neque aliud malum organicum adsit; præterea huic retentioni plurima signa supervenire vidi; quæ tamen etsi levarentur, vesica liberata, non tamen omnino desinebant. Quoniam conditio intestinorum prava hunc morbum et incitat et comitatur, quod bene liquet, de ea loqui alienum. Morbus jecinoris, quoad structuram aut functionem, dyspepsiam semper concitat: atque omnis error vel secretionum

vel excretionum major minorve ventriculum consensui parentem lædunt.

MEDENDI RATIO.

Dyspepsiæ signa et ejusdem causas excitantes pene innumeras, jam dixi: non sperandum est igitur, ut una medendi ratio possit proponi, quæ vero in usu, paucis enarranda.

Modus dyspepsiæ medendi plerisque in tria capita dividitur. Primum, quo causæ excitantes et manifestæ removeantur; deinde, quo signa imminuantur; et postremo, quo ventriculi vis refici possit. Quoniam hæc divisio, optima mihi videtur, hac lubentissime utar.

Medendi rationis Pars prima.—Causas excitantes, ut supradictum, removere, si fieri potest, inprimis curæ sit, si morbi vires imminuere velimus. Cum autem dyspepsia ex prava consuetudine seu indulgentia diuturna oriatur, non solum difficile est, sed interdum minime ad rem, nimis celeriter mederi. Mutatio cœli et novus vitæ

modus plerumque omne medicamentum supervacuum reddunt, præsertim si adsit jucunda vitæ societas, et ea omnia, quæ homines hominibus, mutatione officiorum grata, conjungunt. Sed quoniam haud semper accidit, ut æger vitæ cultum et modum mutare velit, quamvis necesse, medici est, ut inducat ægrum priores habitus relinquere, et ea modis omnibus efficere, quæ valetudini inserviunt. Recte HIPPOCRATES, "Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νουσήματα γίνηται, κένωσις ἰῆται· καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή· καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις *."

Ratio, igitur, causas moventes dispellendi, non ex medicamentis solum, quæ fere ita vocantur, sed maxime ex modo deinceps tractando, petenda est.

Quoad diætam, siquidem habitus corporis diversi, non sperandum est, ut aliquis vivendi modus proponi possit, qui cuique conveniat. Experientia tamen non minus quam ratio docet, victum simplicem, scilicet cibum ex carnibus et vini seu cerevisiæ potionem modicam, multum prod-

---

* Vide Sect. II. Aph. 22.

esse *. Nonnulli in morbis *nervosis* seu *biliosis* (ut vulgo vocantur), cibum frequentem sed modicum suadent. Quanquam hic tractandi modus solitus, plerumque tamen, ut puto, inutilis est. Ventriculo, sicut omnibus aliis partibus, quibus vis musculosa, prodest requies, quia nimis frequens exercitatio ejus vires hebetat, atque ita functiones impediuntur. Si cibus vero tempestive, ter scilicet in die, quinque seu sex horarum intervallo, sumatur, non dubitandum est, quin numerus ægrorum valde minuatur †. Denique, in verbis Doctoris TROTTER, cui omnino assen-

* Professor MONRO, de concoctione loquens, aquam male concoqui, atque, quod bene cognitum, acorem facere, observat; laudatque languida concoctione laborantem cum aqua exiguam potionum ardentium, aliusve humoris excitantis copiam miscere.

† "It has appeared to me, that, with the generality of dyspeptics, to take three moderate meals in the twenty-four hours is the best rule. The dyspeptic should eat nothing in the intervals of these meals. There is no greater mistake than that he should constantly be taking something. This disturbs the natural process, and entirely prevents the recurrence of appetite, a certain de-

tio: "It may, however, be considered as a fact, substantiated by the daily experience of physicians, that all the diseases which are caused by hard labour, poverty, and want, are much easier of cure, than those which arise from indolence, luxury, and debauch."

Pauca deinceps de exercitatione dicenda: immodica nocet, sed tempestiva corpori abunde proficit, mentique vim et hilaritatem conciliat.

Ne plura, hæc præcepta maxima observanda. Omnis exercitatio viribus ægrotantium accommodetur; fatigatio semper absit; sit animus semper quietus et securus*; et sudor lenis, si fieri potest, eliciatur; denique, "omnis exercitatio atque gestatio, sub pleno Jove, et in aëre puro, et sicco, et frigidulo, fieri debet †."

---

gree of which is a wholesome stimulant to the stomach."—Dr. W. Philip "On Indigestion."

* "Non enim sat est corpus ut decet exerceri, si mens suis curis, et ærumnis, et solicitudinibus, anxia et fixa inhæret."—Dr Gregory, "Conspectus Medicinæ Theoreticæ."

† Vide Gregory, Conspectus Medicinæ Theoret.

Postremo, nulli dubium sit, quin societas jucunda et vitæ communitas dolori haud raro, quod equidem vidi, medetur. Cum enim æger locum frequentem adierit, ea voluptate forsan fruatur, quæ morbi oblivionem et sæpissime remedium afferat. Hoc, quodam consensu parum cognito, quotidie accidit. Præterea, aquæ medicinales, ac etiam in mare lavationes, ad discutiendum morbum, et sanitatem reducendam, multum valent. Sed, ut ante dixi, societas et communitas vitæ maxime prosunt.

Medendi rationis Pars secunda.—Si modi, jam commemorati, bonam corporis valetudinem non restituant, alia remedia tentare necesse. Sed priusquam progrediar, hortor, ut medicus, ad hunc morbum curandum, singula quæque signa recte notet, quoniam dyspepsia tam varias formas præ se ferat, et ex causis tam diversis oriatur. Insipientis enim est, opinari eundem medendi modum singulis convenire. Ut tamen paucis absolvam, signa quæque gravissima inprimis notanda, iisdemque inprimis cura adhibenda, et leviora statim evanescent.

Quum nausea et fœda lingua malam concoctionem comitantur; præcipue cum ventriculus pondere gravescit, remedia vomitoria, quæ ventriculi cruditatem tollant, pro tempore, saltem, utilia sunt. Ubi acor adsit, alcali seu terræ alcalinæ prosunt. Alvus astricta potius laxantia quam purgantia postulat. Hæc vero recte adhibita, sæpissime sufficient: sed obstipatio, quando usu contracta, semper fere solito conatu ad efficiendam intestinorum exinanitionem levatur. Illi, qui hoc consilium sequuntur, ne timeant, si per paucas dies nullum auxilium adsit, quin expectent, donec perficiatur. Sed si exercitatio conjungatur, remedium celerius aderit.

Demulcentia, opiataque, et alia antispasmodica, dolores tollere, atque aëris inflationes ex ventriculo seu intestinis minuere, a nonnullis necessaria ducuntur; et his etiam vesicatoria conjungi possunt, ut mihi videtur, quoniam multum boni ex eorum usu oriri sæpe notavi.

Jam dictum est, alvum solutam aliquando huic vitio obnoxiam esse, atque hinc nonnulli, astringentia, quæ sæpissime nocent, laudant; quoniam autem hæc, ex fæcibus acribus nimis diu retentis,

fere semper oritur, ita curatio, non ex astrigentibus, sed laxantibus petenda est. Si his Hydrargyri submuriatem adjiciamus, effectus optati facilius aderunt; hunc tamen non temere, sed prout res exigit, præscribendum. De hac, Doctor W. PHILIP, ita scripsit: "When diarrhœa seems rather to arise from a degree of relaxation of the bowels than from the nature of their contents, it is proper to use articles of an astringent kind, such as rice seasoned with cinnamon. *But it is a great error in the treatment of this disease, immediately to check diarrhœa; for it generally arises from irritating matter, the retention of which would be injurious* *."

Alia quoque multa a prava concoctione aliquando oriuntur incommoda, gastrodynia, scilicet, et cardialgia, quæ interdum subito per Bismuthi oxydum amoventur. Etiam vesicatoria, opiumque, et, prout res se habet, alia remedia, utilia sunt. Præterea, fomentationes et lavationes, et multa alia, recte adhiberi solent.

* "On Indigestion."

Denique, cum dyspepsiam aliquis gravior morbus comitetur, hic inprimis curæ sit, utpote majoris periculi.

Medendi Rationis, pars tertia.—Postremo, de vi ventriculi restauranda loquendum. Si proxima dyspepsiæ causa ex vi hujus organi corrupta constat, ut credendum, magni interest huic rationem habere. Nonnulli scriptores hanc rei partem, in illa, quæ ventriculum ipsum corroborant, et in illa, quæ, toto corpore firmato, illi auxiliantur, diviserunt. Si modi, pro causis remotis discutiendis supradictis, vim ventriculi et corporis sanitatem non restituant; tunc ad alia proposita, quæ ad varios corporis habitus accommodari atque mutari debent, fugiendum. Unum certum, ut mens sana in corpore sano existere nequit, nisi causæ morborum remotæ tollantur. Auxilium medicamenta quidem afferre possunt; sed tamen corpus ita afficitur, ut vel minimæ causæ morbum concitant. Si ergo remedia ex materia medica morbis adhibenda, illa etiam adhibenda, quæ morborum causas penitus removeant, et corpori auxilientur.

Ad hoc efficiendum, Cinchona officinalis, diversaque ferri præparata, cum multis aliis roborantibus, quæ enumerare supervacuum, usurpantur. Hæc interdum utilia, sed modus adhibeatur, ne incommodum gignant.

Quamvis hypochondriasin, speciem dyspepsiæ graviorem esse, duco, tamen diversam medendi rationem postulat, ac ea dyspepsia, quæ sine urgenti mentis consensu existit. Notandum est igitur, quando hypochondriasis medicamentis tractanda sit, ea adhibeantur, quæ menti potius, quam corpori auxilium afferant.

Sed, si hypochondriasin ulla morbi gravioris signa comitantur, his cura adhibenda, prout res postulat.

Nunc, demum, hoc opusculum ad exitum perduxi, et nihil superest, nisi his pauca dicam, qui hoc perlegere possunt, ut meo animo, atque huic occasioni librum componere fuerit alienum.

Multa, quidem, de dyspepsia, ratione, scilicet, dignoscendi; corporis adaperti aspectu; morbis,

quos dyspepsia diu perstita movet; et præterea, aliquatenus, curatione per medicamenta; prorsus, sed non casu negliguntur.

——————— Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.
HORAT.

——————— Fas est et ab hoste doceri.
VIRGIL.

FINIS.